DEO OPT. MAX. UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM DIE JOVIS V. JANÜARIJ.

M. PETRO YON Doctore Medico, Præſide.

An ſenectus ætas plena malis?

OMNIUM ætatum ut diverſa temperies, ſic ad morbos aut ſanitatem, morum probitatem, aut prauitatem ſors inæqualis. Quæ ad corporis functiones omnes expromendas inculpatè, geſtiones animæ quaſque obeundas, inſtructa probè, ea plena bonis; quæ varijs morborum procellis facilè jactatur, prauis affectibus deformis fuerit, ea plena malis. Ex duabus partibus animâ & corpore coaleſcit homo, quarum vnionis modus ex ijs vnum eſt, ad quod cæcutimus in hac humana caligine, & cujus inquiſitio ingenij eſt moroſi, aut nimium ſatagentis; partium harum altera ſi quid mali patiatur, alteram trahit in conſortium; ambæ ſi laborent, malorum accedit cumulus, & ætas redditur morti ſimillima, fortè deterior.

SENECTUS ætatum omnium frigidiſſima ſicciſſima, nullâ eſt eluctabilis arte, nullis arceri poteſt pelli-ue medelis, ſiue ab annorum decurſu, ſiue ab eo proceſſu, qui eſt ad ſiccitatem furtim obrepat, ſiue ab externis veniat properata cauſis. Ea tot malis quaſi naturali ſatellitio ſtipatur, vt à ſene haud ſit quærendum quî valeat ſed vbi doleat: huic enim canum caput, facies arata rugis, gingiuæ dentibus exarmatæ, balbuties, languens appetentia, imperfecta coctio quæuis, largus excrementorum prouentus, & tremit effœto corpore laxa cutis, motus inſtabiles, moleſta ſpiratio, deſtillationes, tuſſes, morbi omnis generis, quorum nec criſis perfecta ſperari poteſt, nec abceſſus ſalutaris, ſenſus hebetes, ad res omnes elangueſcens ingenium, morum ineptia, ſenex cum extemplò eſt nec ſapit, nec ſentit.

HOMINIS anima a deo, nullo intermedio, vel ſequeſtro creatur, finem habitura nullum, principium quamvis habuerit, niſi quod nutu creata, nutu quoque queat diſſolui, deo ſi libuerit autori; at libuit ne libêret, voluit vt nollet. Cæleſtis ipſa ac prope diuina. Licet vna, multa diuerſaque facit, & præter aliarum formarum leges, ſæpè contraria. Ipſa ſua-pte naturâ ſibi ſeruit, ſibi imperat à corpore ſi ſemel abſoluatur; huic implicita, & ejus incluſa compagibus, innato calore vtitur vt inſtrumento, ad ſuas omnes functiones obeundas, & temperamentum ſibi conſtituit, aut à conditore ſibi conſtitutum comparat ad vſum ſui domicilij: Utriuſque ope cor mouet, coquit in ventriculo, recoquit in jecore, digerit in membra; mutat in corpus, ſufficit, vnit, inſtaurat, redintegrat: quin & per partes officiales, & adminiſtras rerum recipit impreſſiones, & fit talis quales fuerint illæ, ſic in tenebris pauent melancholici, quia ſpiritus atri non anima, neque mens ægrotat, cum dolorem, quo cruciamur, non ſentimus.

FRUSTRA morborum & morum cauſas ſyderum virtuti tribuas, quæ tempetamenta pingant occultis qualitatibus, cum non ſolùm ad virtutes & vitia, morbos & ſanitatem, ſed ad quaſuis artes alios alijs propenſiores efficiat calor innatus, & ipſe nemini notus quatuor primorum corporum modus. Anima licet poſſit corpus mouere ſine ſpiritibus, cum materiâ tamen re tam vili conjuncta, ſine adminiculis accidentium, & præſidio, fungi nequit ſuis officijs, vt quæ accidentia ejus ingreſſuræ fuerint apparatus, poſt modùm acceptis ab ipſa nouis legibus, interpolentur, & fiant ejus inſtrumenta, ſic mediocris calor qui ex juſta primordiorum exurgit confuſionè, ſanitatem ſeruat, arcet morbos aut ſanat, mores effingit inculpatos, vim & effectionem roborat omnem; ejus exuperantia vel defectus ſanitatem euertit, morbos accerſit, mores deprauat, aut reddit ſtolidos, hinc celeri concitatoque animo & corpore plures, alij tardo & hebeti, his lætitiæ & hilaritatis omnia plena, illis triſtitiæ & mœroris, his ſenſus obtuſi & pingues, illis veloces & expediti, hi morbis aut nullis, aut paucis, iiſque leuioribus tentantur, illi toti ſunt à natura morbi, & vix vllum vel leuem queunt ſuſtinere.

SENECTUS quæ lenta mors dicenda magis quam ætas, omnia carptìm vellitque deteritque commoda vitæ, corporis epotat ſuccos, animique vigorem hebetat, igniculum vitæ autorem aquei humoris affuſione ſuffocat paulatìm, pinguem & oleoſum hujus nutritium liquorem exhaurit, ſpiritus naturales & paucos ſuppeditat & craſſiores, vitales adimit, animales obumbrat, & reddit caliginoſos, vnde coctiones omnes deteriores, excrementorum prouentus vberior & morborum penè omnium manant ſeminaria; hinc ſenum unà cum corpore torpent conſilia, hinc timiditas & diffidentia, auaritia; hinc ſenes nec ſecundis rebus quieti, nec aduerſarum patientes, & memoriâ magis præteritorum, quam ſpe futurorum viuentes, queruli, moroſi, loquaces, arguti, vtilitatis magis quam honeſtatis ſtudioſi; miſeram quippe ad ſenectam tanquam ad officinam quandam mala vniuerſa confluunt mortalium.

Ergo ſenectus ætas plena malis?

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Guillelmus Lamy.	*M. Ægidius le Bel.*	*M. Stephanus le Gaigneur.*
M. Petrus Yon. Præſes.	*M. Abrahamus Theuart.*	*M. Petrus Bourdelot.*
M. Antonius de Saint Yon.	*M. Nicolaus Lienard.*	*M. Carolus le Breton.*

Proponebat Lutetiæ GERMANUS PREAUX, Pariſinus, A. R. S. H. MDCLXXIII.